

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

LI. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

L I.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A :

Quam Præside

M. A N T. B E R G I E R D. M.

Tuebatur

J. B A R B E U D U B O U R G

Sub hac verborum serie

A N T R A C H E O T O M I Æ N U N C S C A L P E L L U M ;
N U N C T R I G O N U S M U C R O .

Parisiis 8 Februarii anno 1748.

Tom. II.

K k k



Q U A E S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A

Quaestio

M A N T H E R I G I E R D M

Tabula

J E A R B E U D U B O U R G

1773

A N T R A C H T O M I E N U N C S C A P I T U M

N U N C T R I G O N U S M U C R O

1773

1773

Tom. II



I.

Trachæa sive aspera arteria ductus est partim cartilagineus, partim membraneus, per quem aer pulmones subit, a pulmonibus regreditur. Admissi emilique aëris grata vice diu carere vita nequit; hinc primariis vitæ organis merito accensetur pulmonalis fistula, inde vero perperam creditum quodlibet ipsius vulnus lethale. Est ubi trachææ vulnere pessumdetur ipsius actio; est ubi illæsa officio suo desit, læsa eodem sat belle defungatur. Trachæa quidem in totum secta, subducit se extremum inferius, pressumque ab adjacentibus partibus muneris sui obliviscitur, adestque præ foribus fatum ineluctabile. At ubi quantumvis amplo vulnere ita læditur, ut æqua transmittendo aëri via pateat, nihil fere minus lethiferum. Id ratio suadet; id ipsum evincunt observata certissima. Frequentissimi quippe medicis & chirurgis occurrunt casus hominum, quorum alii a latronibus confossi discissam reportarunt asperam arteriam, nec minus postea sanati fuere; alii vitæ pertæsi violentas sibi manus intulerunt, mox etiam nonnulli inductam trachææ vulneratæ futuram dilaceraverunt, pertinacius vero commissis iterum glutinatisque arte chirurgica vulneris oris, hi tandem inviti a morte vindicati, illi sibimetipsis reconciliati vitam perpeti didicere. En etiam quod magis mirum primo intuitu videri queat: nonnemo, insigni trachææ parte abscissa & ablata, plurimis tamen annis supervixit, licet grandioris vulneris labia ad se invicem adduci nunquam potuerint, sed hiulcum foramen ingens remanserit, spongia usque tegendum; quod sibi visum testatur Swietenius. His nititur certissimis fundamentis trachæotomiæ (seu bronchotomiæ aut laryngotomiæ dicere magis) operatio, qua scilicet ægris spiritum vix ac ne vix quidem ore trahentibus, trachæa consulto inciditur, ut ea redintegretur functio, quam diutius intermittere lethale est.

II.

Impedimentum transmittendo aëri duplex imprimis in trachæa suboriri potest. Sive enim cavum ipsius offerciat inopino casu intrusum corpus extraneum; sive ejusdem orificium appressis invicem parietibus coarctet tumor aliquis, ac præsertim phlegmonodes: dirum utrobique suffocationis periculum. Prius nonnunquam incurrunt qui lascivientes inter epulas, cibus ore pleno, in risu inconditos temere exsolvuntur. Tunc quippe surrecta subito epiglottide simulque laxatis vocalibus (Ferrenii) fidibus, facile deviantia ciborum frustra, fructuum officula, aut similia quævis, hiulcum glottidis ostium errore subeunt irremeabili; hinc enim rursus superas ad fauces evadere posse spes adeo exigua est, ut sæpe ipsa

K k k 2 ægri



ægri conamina strangulationem celerare potius quam bolum evocare queant. Nec minus incumbit malum, sicubi laryngem glandulasque supremæ parti asperæ arteriæ circumpositas vehementer invadit inflammatio, ut fit in *Cyanche*. Quo quidem in morbo Hippocratica illa occurrit respiratio sublimis, scapularum præcipue musculis auxiliantibus exercita. Supra dorsum erectus, jamjam suffocandus æger, amicorum dum implorat opem, pro voce quali sibilum edit. Sævitur acutissimus dolor, ac nisi præsentissimum adsit auxilium, morbus in horas exacerbatur. Vacillat pulsus, cruore suffusi prominent oculi tubercantes, ore contineri impos lingua velut fune suspensis exseritur, fervent dulci aëris refrigerio defraudati pulmones, Tantalus alter obvias hiando vix captat auras, advolantemque pernicibus alis mortem summas inter angustias opperitur.

I I I.

Ad extremos morbos extrema exquisita remedia optima docet Hippocrates. In utroque casu supra memorato una salus miseris nullam, nisi gutture ocyus inciso, salutem sperare. Congruunt tamen unicuique speciei cautelæ propriæ, aliud atque aliud instrumentum. Ubi extraneum quid interiori aëris ductui præter naturam insidet, experientissimi chirurgi quo se modo gerant, en accipe. Caput ægri in lecto aut in sella idonea resupinati probe firmat minister quidam a tergo positus. Ipse autem chirurgus coram adstans, medio fere jugulo, ab uno circiter pollice infra cartilagineam thyroideam ad sternum usque, cutem cum subjectis musculis scalpello ita dissecat, ut binos tresve digitos, imo forte quatuor in proceris corporibus, adæquet longitudo vulneris, cujus oræ mox a ministrorum altero per injectos hamulos graviter diducuntur; tum spongiæ aut carpti linamenti ope abstergitur cruor omnis, quo facilius in conspectum findenda prodeat trachæa. Ac tandem tres quatuorve annuli cartilaginei secundum colli longitudinem inciduntur; atque ita quidquid ibidem intrusum deprehenditur, per immissum specillum, volsellamve aut hamulum foras protrahitur quam solertissime. Quo peracto, nihil aliud superest, nisi ut expurgatum deligetur glutineturque vulnus, cujus labia sibi invicem commissa, quasi sponte sua coalescent. Hac ratione frustum boleti cocti, quod viro jocanti simulque jusculum in quo varia condimenta non deerant assatim ingurgitanti, in trachæam cum imminente suffocationis periculo inciderat, feliciter effodiit Heisterus. Hac eadem arte fabam e cujusdam gutture extraxit Ravius, ægrumque sospitem in vado constituit. Nunc quoad anginam plura consideranda veniunt, tum quæ medicum consilium ac prudentiam, tum quæ chirurgicam operam ministeriumque respiciant. Tempus imperandæ trachæotomiæ idoneum caute secernere non cuivis datum est. Quoad resolvendæ inflammationis iusta spes affulget, quid-

vis



vis prius tentandum quam operatio instituat, apparatu ipso adeo formidolosa, exituque nunquam non anceps. Rursus si phlegmonem jam exceperit gangræna, infarctasve immeabili sanguine pulmonales arterias doceat pulsus debilis, vacillans, intermittens, cum extremorum frigore; egregium remedium ne gratis infametur præpostere adhibendo. Gravissimo quippe morbo conflictatis rite succurrit trachæotomia, non in mortis agone constitutis. Nec minori attentione ac solertia perpendi meretur locus affectus. Si nimirum circa laryngem, aut in trachææ parte superiori inflammatio hæreat, subjectas partes audeto lacesere. Si vero secundum trachææ longitudinem versus pulmones serpat inflammatio, quod fere ex ipso ægri sensu cognoscitur, deploratis jam rebus, ab ea opera superfedendum, unde fructus nullus expectari debeat. At si dubii aliquid circa morbi sive præsentem statum sive sedem propriam, atque adeo circa ipsius trachæotomiæ opportunitatem subesse videatur; medico forte etiam tunc fatius fuerit a suspecta medicatione abstinere, ne eum jugulasse putetur, quem sua fors confecerit, ipsi autem ægro longe præstabilius in certo lethali cynanche anceps quam nullum remedium experiri; porro medicis orthodoxis rumores ante salutem ponere grande flagitium censemus. Ubi igitur ingravescens angina medelam omnem eludit, naturali glottidis osculo nimio opere coarctato, nova quasi glottis ab arte petatur etiam atque etiam suademus; Albucasi que, Casserio, Heistero, &c. calculum addimus, pro imperitis aut meticulosis, imo prope homicidis eos habituri, qui dum operationem sæpe valde salutarem temere negligunt, ægros fidei suæ creditos morti addicunt indubiæ. Ant. Brassavolus propriis manibus, detrectante chirurgo, squinancici cujusdam jamjam animam expiraturi trachæam incidit, orci que e faucibus eripuit; & non solum hac vice, sed & alias pluries idem se felici cum successu tentasse scribit. Eodem præsidii genere Benivenius a se subtractum morti anginosum asserit. Nec minus auspicata audacia celebratam, tum in hortulano, tum in milite, trachæotomiam testatur Ren. Moreau. Sic etiam apud Scotos Martinus, apud Anglos Keen, apud Hispanos Virgili, idem tentare ausi, eandem laudem, restitutis ægris, præmeriti sunt. Jam igitur macte animo, civicam quisquis coronam reportare cupis. Ægro quantum licebit apte constituto, interstitium tertii & quarti annuli cartilaginei pertentando indice queratur; eoque loci chalybeus mucro trigonus*, argenteum indutus canaliculum, in cavum asperæ arteriæ usque uno ictu adigatur. Mox educto mucrone, canaliculus religato ad posteriora funiculo firmatus, emplastroque perforato obtectus, superinducta rariori quadam tela, tamdiu relinquatur in vulnere, donec ablata causa quæ hanc operam exegerat, expeditior sorbendo per veram glottidem aëri via pateat. Id autem facili pernoscitur experimento, dum nempe canaliculi orificium admoto digito obturatur.

K k k 3

I V.

* Vulgo *trois-quart*.

I V.

Enchireseos utriusque ratio in promptu est. Ubi noxiæ rei educendæ causa operatio instituitur; ut ominoso trachæa liberetur obturamento, justæ amplitudinis requiritur apertura, quam quidem secans instrumentum rite præstiterit, nequaquam vero trigonus ille mucro asperam arteriam modico tantum foramine pungens. Interea vix ullus subest sanguinæ derivationis metus; intromittendi canaliculi nulla prorsus necessitas; statimque ab operatione peracta, vulneris labia sibi invicem committere licet, brevi coalitura. Ubi vero ægros præfocans, acerba cynanche proximam intentat necem; non adeo magna trachææ incisione opus est, libera ut redeat aeris usura: lineæ unius aut sesquilineæ diameter esto. Plagam vero prius glutinari nefas, quam morbi ipsius causam efficaci medela sustuleris; hinc relinquendus in vulnere canaliculus; præterea inflammationem e vicinia arcessi propagarique in præcipiti est. Minus itaque ex re in eo casu foret scalpelli usus, a quo nimis operosa sectio, & quasi partitis vicibus peragitur, majori proinde cum dolore, nec exiguæ derivationis metu. Dum vero mucrone illo chalybeo uteris, prope unoque ictu cum integumentis & musculis ipsa trachæa quantum satis hiat, simulque intromissus adest canaliculus; unde sese nobis amica operæ simplicitate mire probat Deckeriana hæc methodus. Præter causas supra allegatas, nunc exterius compressæ, nunc interius obturatæ asperæ arteriæ, tertium proponit eumque non absurdum Trachæotomiæ usum Dethardingius, ut scilicet efficaciori cor elanguidum stimuletur irritamento. Si quis forte aquis extractus, non dudum expirasse videatur, huic quam citissime aspera arteria vel triquetro veraculo (si præsto sit) vel lanceola, vel etiam cultello vulgari, utcumque aperienda; dein per inflictum vulnus, sive adhibito tubulo qualicumque, sive etiam ore nudo, spiritus strenue immitatur. Quod si mature fiat, expansis hac arte pulmonibus, motuque cordis exsuscitato, redivivum hominem miraculi instar sistendum expertus spondet vir clarissimus. Nos profecto in hujusmodi casu trigonum mucronem ad manum adesse ita optamus, ut morosam in instrumenti delectu sedulitatem magis interea damnemus; summum enim in mora periculum est, nululque aut floccipendendus inflammationis aliorumve accidentium metus.

V.

Negabant antiqui læsas cartilagineas posse coalescere; sed error ille jam pridem evanuit. Verebatur etiam Aretæus, ne per Trachæotomiam angina augeretur inflammatio: non quidem vanus iste error; attamen duo sunt quæ nos adversus eum quadantenus obfirmare debeant. Primo quod infra locum affectum fieri ut plurimum queat asperæ arteriæ sectio. Deinde



de quod non statim inflammantur vulnerum labia. Vulnus hæmorrhagi-
am immediate concitat, quæ sanguinem potius ab inflammatis partibus
revellere, (quod opportune admodum in ea ipsa operatione sibi conti-
gisse refert Martinus) quam uberiores copiam huc derivare potis sit. Mox
fistitur hæmorrhagia, tum ob retracta compressaque arteriolarum oscula,
tum ob coagulum quoddam stillantibus, sicque aëri oppositis, guttis in-
ductum. Tandem exclusus inde sanguis circumfusa vascula gravat & ob-
stipat, unde inflammatio. Hinc observationibus innumeris compertum
est vix ante tertium ab inflictis vulneribus diem ingruere pendentem ab
ipsis inflammationem, quod sane tempus in tam præcipiti morbi impe-
tu lucrifacere non exigui momenti putandum est, cum præsertim efficaci-
ssimis remediis exhibendis locum dare valeat. Sunt etiam, qui trigoni mu-
cronis usum omnino reprobent; dum enim, inquit, magna vi in tra-
chæam mobilem facileque vacillantem adigitur, periculum est, ne aut de-
viet instrumentum satis crassum, aut posterior cum anteriore lædatur tra-
chææ paries. Id verò non timuit peritissimus Heisterus; neque ipsa nul-
lum hujusmodi periculum imminet, modo ne obtusa acie, aut rudis chi-
rurgi manu, operatio instituat.

Ergo tracheotomie nunc scalpelli, nunc trigonis mucro.

F I N I S.



DISPUTATIONUM
CHIRURGICARUM
SELECTARUM.

PARS TERTIA
DE MORBIS PECTORIS.

LII

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
CANCRO MAMMARUM,
EUMQUE
NOVA EXTIRPANDI METHODO.

Quam Præside

D. J. SERRURIER P. P.

Tuebatur

GERARD. TABOR,
MOENO-FRANCOFURTENSIS

Trajecti ad Rhenum 19 Maii anno 1721.

Tom. II.

LII

